

N^o 13
EPITHALAMIA.

Pietate literatâ ornatissimo viro,

Dn. Friderico Isemanno,
DOCENTIUM IN SEMINARIO
Rigensium Collegæ industrio.

Et

PUDICISSIMÆ VIRGINI,

Catharinae Conders:

Nuptias celebrantibus Rigæ pro prid. Cal. Iun.
Anno cl. lsc. XIX.


Scripta à

Fautoribus & Amicis.



Typis Nicolai Mollini, ANNO ut supra.

84



Mulca tulit, fecitque puer, sudavit & alfit,
Mula docet Lyrici ceu Venusina senis.
Ecquid & hoc *Friderice* in te! te ob debita laudis
Præmia sub Musis multa tulisse scio.
Et scio te sudasse, scio te alfisse sub ipsis,
Est mihi Pierii testis Apollo chori,
Scilicet hinc aliquis cursum absoluisse laboris
Te putet, inque ocl nunc habitare domo.
Fallitur, haud etenim pars est millefima cepta,
Majus ab hoc anno nunc tibi surget opus,
Quod tibi non Pallas, sed Cypria Diua paravit,
Et vincens multos imperiosus amor.
Occultum tibi dum tremulo sub pectore vulnus
Fixit, & implevit membra calore gravi.
Ingemis ah *Friderice*, meum solamen in orbe,
Aut mihi quis medicus sit Deus, ingeminas?
Hei! *Friderice* Deus, vulnus qui sanet, abesto,
Est Dea curarum quæ medicamen habet.
Bella puella Dea est, tristi cataplasma dolori
Quæ facile imponet, tollet & omne malum.

A 2

Non

Non opus hîc ære est, opus est ara, ore, & amore:
 Quæ tria si serves, postea sanus eris.
 Ara tibi gemino faciet de corpore corpus
 Vnum, unam faciet osque duplex animam.
 Ast amor efficiet multa te prole parentem,
 Lenimenque mali & dulce levamen erit.
 Ergò age scande thorum felix *Friderice* sororum
 Surcule, cessabit vulneris omne malum.

Benevolentie causa deproperabam


M. Hermannus Samsonius Pastor & Inspector Scholæ.

ALIVD.

P ulcras amare gemmas	<i>Sic docte Friderice,</i>
<i>Meritò vocatur Indus;</i>	<i>Amice multum amade,</i>
Marmorq; Phryx, amare;	<i>Amade multum Amice,</i>
Gazas amare Persa	<i>Amanda nunc puella,</i>
<i>Meritoq; nominatur;</i>	<i>Puella nunc amanda,</i>
<i>Et Gargarus benignè</i>	<i>Toro tuo dicata;</i>
<i>Miratione magnâ</i>	<i>Sic bella Virginella,</i>
Segetum tenetur orbis;	<i>Sic Virginella bella,</i>
<i>Et dulcium favorum,</i>	<i>Socius tibi futurus,</i>
<i>Miratione magnâ</i>	<i>Amandus est Maritus,</i>
Tenetur Hybla semper:	<i>Maritus est amandus.</i>

ἡ ἄωσ ἡρῆ & λῦωσ Congratulabatur

M. Aggeus Friderici, Scholæ Rector.




ALIUD.

Quod sibi Isenmannus ferrum ine jungit amoris
 Conhartin, quisquàmne omen habere neget?
 Ferrum amat objectas casu prosternere moles;
 Robora Conhartis mentis athena notat.
 Hinc (nec vana fides) reor, ille vir, ista virago,
 Ambo mares animos & socia arma gerent:
 Pectora quæque minus frangendis singula telis,
 Bina ea sufficient, fors inimica, tuis.
 Non tamen Ajacis gladius, neque ferrea clava
 Alcidae quævis monstra domare valet:
 Quondam etiam victrix abiit Patientia: ferrum
 Sic est nobilius, quò magè ductilius.
 Adde, quod occultâ positum ferrugine scutum
 Roditur, æra usu splendidiora nitent:
 Quæque domos munit clavis, conclave recludit,
 Assiduâ fulget trita subinde manu:
 Sic quoque, quæ latuit virtus utriusque secundis,
 Rebus erit dubiis conspicienda magis.
 Et metuo, impositâ sub mole fatiscat ut alter,
 Cum leve fiat onus, quod duo colla trahunt.

Denique ferrum acuit ferro (ne singula ferri
Hic referam) quisquis, quo redametur, amat.
Maeste vir Ilenmanne, & tu Conharti virago,
Omnia curate ut nomina vestra sient,
Fortem animi clypeum adversis opponite: binos
Firmet amor: Vester sic torus omen habet.

Arnoldus Cuperus Corrector,



ALIVD.

Dum Cyrrha scatebras & alta Pindi
Lustro cornua, quæ novem Sorores,
Dictatorq; suas Apollo leges
Præscribens solidam ministrat artem
Ad vatum monumenta doctiorum;
Hic dum nunc relego sacras tabellas,
Nunc suaves numeros & auriformes
Flores colligo, dictitante Phæbo;

En

*En parvi Genitrix Amoris, illa
Verticordia, blanda blandicella,
Fudens sidereas domos, ad ocreas
Terra deproperat citis habenis,
Tota pulchra, venusta, candicansq;
Ceu Marti placitura bellicoso.
It comes tener & minutus ille
Natus, & Genitricis ad latus stat.
Jam quacunq; suis secat Genitrix
Essedis nebulas, paratus ante-
It lascivus Amor, suis sagittis
Nunc blandam volucrum petens catervam;
Nunc Tigres feriens Leæve Mauras.
Sed quæquæ tetigit solum sagittæ,
Flos fit; omnigenas color per herbas
Tendit, & fera tela agros maritant.
Ut me viderat; Ecquid intueris,
Inquit, ausa Cupidinis? sagittis
Te quondam his tetigi, ferre sed nunc
Collegam propero tuum. Quis iste?
Me rogas: Fridericus: is Conertem
Plus Nympham quod amat suis ocellis;
Quod Nymphæ redamatur à Conerte;
Totum muneris hoc mei, meorum hoc*

Telo:

Telorum facinus, quibus volucres,
Et Tigres rabidas Leas & hirtas
Tractari intuitus locis ab ipsis.
Sed tuus labor hic parumper esto,
Ut paucos Ilemannulo Phaleucos
Expromas, Hymeneios honores,
Et pulchrum facinus Cupidinis col-
laudando brevibus tuis Phaleucis.
His dictis, nebulas petens recessit.

Tene, Sponse, suis Cupido telis
Attingit, latebrasq; cordis, immo
Cor totumq; medullulasq; adurit?
Dum Nympha lepidos tuis amores
Inspirat Pharetratus ille fibris?
Sed felix animi, & nimis beatus,
Indulget cui tam bonos amores,
Tam suaves, Venus illiusq; Natus!
Quis non consimili velit sagittâ
Tangi? si medicas manus ministrat
Tam decens Venerilla pumililla,
Cui marmor Parium genas honestat,
Et flos purpureus subinde mistus;
Et cui dulce micans ocellulorum
Sidus; & minio rubens labellum

Com-

Commendat nimis, & nimis venustat.
Quid dotes animi? modestia qua
Amans, & pietatis estimatrix,
Litium fugitans cavillulique,
[Quæ rarò genus hoc caret] sed adde,
Quod domum sciat, & sciat Maritum
Tractare ingenuâ decenter arte.

Felicem hæc, Friderice, te Maritâ!

Hæc, Laertiaden velut Calypso,
Pastorem Phrygium velut Lacana,
Et Jovem Danaë velut reclusa
In turri, excipiet, sinu forebit,
Componet roseis labella labris;
Linguam melliculam hinc & inde vibrans,
Linguam roscidulam hinc & inde sugens,
Ter centum tibi basiationes,
Ter centum tibi saviationes,
Ter centum premet osculationes:
Adde & mille placentiuncularum,
Adde & mille lubentiuncularum,
Et quotvis patientiuncularum,
Et quotvis pedepressiuncularum,
Et quicquid Venus è penu ministrat.

Felicem hoc quoq; sponsa te Marito!

B

Hic



Hic, Mars Odrysius velut Dionem,
Smintheus Lauripotens velut Profimnam,
Et Tejus Samium velut Bathyllum
Ita hic te igne reciproco calebit.

Macti uterq;, Maritus & Marita
Recens! incipitote vosmet inter
Largiri placidum favoris usum;
Et sperata diu, diu cupita
Gaudia illicibus subite fibris,
Cum vos mitificâ soporis umbrâ
Nox circumvolitat; nec ad lepores,
Et lusus teneros magis benignum
Tempus. Tu rutili pater diei
Sol, ocelle poli! facem serenam
Alluce, & solitam iubar superne
Funde! hic pulcher amor perennis ut sit,
Sit fortuna favens, domus beata,
Nullum litigium, nec ira; sed mens
Concors Conjugis utriusq; tandem
Ut lectum soboles beet, domum res!
Hoc est, quod precor unice his Phalencis.

L. faciebat.

Martinus Hesperus SubConrector.

ALIVD.

Rem bellulam
bellissime!
Conertis Ifemanulo
Compare
Ad Cypridos
Sacrarium
Felicior comeat
Omine:
Suis viam
Sagēulis
Accomodat corditrahus
Puffio;
Dum corcula,
Dumq; Iliâ,
Medullulas & intimas
Nectare
Suo imbuis
Illius &
Illius, ex Materculâ
Numine.
Hinc Sancus &
Lubentia
Et Gratiarum vitulâ
Ternio;
Hinc musica
Symmētria
Et organorum personant
Chromata;
Hinc virginum
Decentius
Choragium Conertidem
anteis;
Idēndem

Vestigia
Matrona quævis colligis
rum pare;
In tempore
FRIDRICIVS
Præcessit ardor copulam
Sumere;
Sumetq; jam;
Sumpfitq; jam;
Ferruminatus vâldius
Glutine
Virguncule;
Quæ se suo
Vrit nitore simplici
Plus vice.
Hinc condecet
Amiculo
(Licet minuto Crenulæ
Impete.)
Gratarior
Has serias,
Lubentiæ quæ suppetunt
Augmine.
FRIDRICE mi!
Novitie
Marite! quid? Conertis an
Nunc tua?
Est, inquires;
Sed credimus,
Iuratus hoc quando prius
Dixeris.
Sed esto, nec
Quis auferat!

B 2

Aufer

Auferre nec permiseris,
Si sapi:
Ac ut tibi
Concredita est
Per maximi Vicarium
Numinus;
Sic propriis
Concredito
Adfectibus; quin nemini
Præter id;
Nec Iuppiter
Si flagitet
Rivalis esse perbreui
Momine,
Te copula
Et annulo.
Iurata contestatio
Conjugat.
Te mystica
Precatio
Clementiæ divinitus
Destinat.
Nos Copulans
Diutinam:
Vovemus & Clementiam
A Iove,
Quin oscinum
Si ludicra
Nunc ominentur quidpiam
Secius;
Interminor
Et eminor
(Ex lege sed Poëtica)
Absore.

Non concedet,
Tam candidum
Par sortis, apra perpeti
flamina:
Nec astricus
Monarcha vim
Apeliota tetrico
Hanc finat
Heus sponsule!
Nunc gaudiis
Pectusculum distendere
Par erit.
Cispellito
Molestias
Et inficeta corculi
Tormina:
Et crasinam
Castèræ
Mandare curam commodè
Pergito:
Dièculam
Hanc sumito,
Tibi tuisq; honoribus
Blanditer,
Non lumina
Huc dirigis?
Et blandicellam virginem
Aspicis?
Ah cernito
Hanc marmoris
Albedinem cum peruis
Murice!
Ah cernito
Vibratilen

Ocella

Ocellorum gratiam,
Quam gerit!
Ah cernito
Modestiam
Accommodam virguncula
Gestibus!
Labellula
Quam rosida.
Quam mellivenda lingua!
cernito.
Quam candicans
Cervicula,
Quam comptuli lacertuli;
Cernito.
Manusculas
tenerrimas,
Breviusculos pedunculos.
Cernito.
Nonne omnia
Quæ conspicias
Fridrice, portant gaudia
Nunc tibi?
Iuraverim
Facetiis
Tui Scatere cellulas
Corporis.
Nec dixerim
Miraculum;
Tàm fausta quando Faustitas
Sufficit.
Cum Cypridos
Faventia
Venustulam Lacenulam
Dat tibi:

Non Bryllida aut
Pithecium
Mopsiq; Spinturnicium
(nex mera.)
Quas Saurea
Vel Strobilus
Plebeia Plauti natio
Ductitat.
Sed qualibus
Grex doctior
E Palladis consortio
Feruescit.
Pulcellæ
Lucretiæ
Decentulæ Rosinulæ;
Hoc genus.
Maeste ISEMAN!
Curatio
Sit hanc tibi Maritulam;
Excipe
Hanc liberis
Facetiis
Et mutuis Amoribus:
Excipe
Hanc suavis
Amplexibus,
Amiculis sermonibus:
Excipe
Hanc Nectare
Cupidinis
Et Cypridos dulcissimæ
Smilace.
Tu Iuppiter.
Saturnia

B 3


Con

Conertis esto; quod cupit
 Hæc, dabis.
 Verum cave
 Dum primulas
 FRIDRICE, tentas gymnadas
 Cypridos,
 Ne concidas
 Caduciter,
 Cavillulumq; concites
 Fervidus.
 Tu Sponsula
 FRIDRIC VLO
 Tuis placebis artibus:
 Porrige
 Huic suavia
 Et comptula
 Conertidis labellula:
 Porrige
 Tenerrimum
 Pectusculum
 Et albicantis dextera
 Marmora:
 Et præter hæc
 Papillulas;

Et præter hæc favillulas
 Cypridis
 Da centies
 Da millies
 Centumq; da sis millies
 Basia.
 Adfectulos
 Furentulos
 Fac indices, & mutuos
 Hunc pete.
 Felicior
 Acontio
 Gracchoq; sic Tiberio
 se feret:
 Acontii
 Cydippula,
 Gracchiq; tu Cornelia
 Sic eris
 Felicior;
 Sed liberos
 Vtriusq; sexus si feres:
 Quod precor!

Subitaneâ crenâ deproperabat

Johannes Gamper Rector Scholæ Gold,
 designat.



ALIVD.

Sacra cupidineas vetitant socialia flammæ:
 Stupraque legitimus pellit iniqua torus.
 Ergo Cuculligerum procul hinc, procul esto caterva;
 Quæ spernis summi iussa verenda Dei.
 Quod Deus instituit, tibi non contemnere tutum:
 Despectus Vindex est gravis ipse sui.
 Sed tu laudaris merito Friderice, verendam
 Conjugii pari qui colis usque Scholam.
 Hinc ut capisti Christo Duce, & auspice Christo,
 Sic quoque ritè sacrum continuabis opus.
 Namq; tuis antehac votis quam sæpe petisti,
 Appetit amplexus jam Catharina tuos:
 Quam genus & pietas ornat, morumq; venustas;
 Quæq; est virginæ gloria lausq; chori.
 Non hæc fortuito sunt connubia casu,
 Sed fato omniscii sic moderante Dei.
 Eisenmanne Dei hoc felicitè utere dono;
 Pro tantoq; ipsi carmina pange bono.
 Quin Kondera tuo quoq; concipe gaudia corde,
 Concelebrans merita laudis honore Deum:
 Quod tibi se societ claro Vir stemmate, vita
 Integritate, fide, religione gravis.

Hunc

Hunc Catharina tuum (ceufas) reuerere Maritum :

Huic figas labris basia mille tuis.

Seruiat huic uni tua mens, hunc ardeat unum,

Flexilis ad nuius, obsequiumq; piuum.

Viuite sic ambo florentes Nestoris æuui!

Vndique pax uestram cingat & alma domum!

Vos presens summi nunquam benedictio Iowa

Destituat! uestrum sed beet usq; torum:

Pignora quò casti numeretis plurima lecti;

Pignora grata solo, Pignora grata polo.

Sic eritis pulcra felices prole Parentes!

Auspice sic Christo vitaq; sospes erit!

Hoc mea Musa uouet: votum, quod corde profectum,

Numine confirmes ô bone Christe tuo!

Honoris ei gò pangebam

Paulus Magirus Ratisbonensis Bavarus.



LU Akad. bibl.
B-17002295